

Bryn Mawr College

## Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College

---

Hermann Sauppe Library

Bryn Mawr College Publications, Special  
Collections, Digitized Books

---

1865

### Viro venerabili Ioanni Christiano Koken rei scholasticae a consiliis Gymnasii Holzmindensis directori ante hos L annos munus praeceptoris publici auspicato piis votis congratulantur Gymnasii Guelferbytani praeceptores

Justus Jeep

Follow this and additional works at: <https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks>

[Let us know how access to this document benefits you.](#)

---

#### Citation

Jeep, Justus. 1865. Viro venerabili Ioanni Christiano Koken rei scholasticae a consiliis Gymnasii Holzmindensis directori ante hos L annos munus praeceptoris publici auspicato piis votis congratulantur Gymnasii Guelferbytani praeceptores. Wolfenbüttel.

This paper is posted at Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College.  
<https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks/130>

For more information, please contact [repository@brynmawr.edu](mailto:repository@brynmawr.edu).

VIRO VENERABILI

**IOANNI CHRISTIANO KOKEN**

REI SCHOLASTICAE A CONSILIIS GYMNASII HOLZMINDENSIS  
DIRECTORI

**ANTE HOS L ANNOS**

MUNUS PRAECEPTORIS PUBLICI AUSPICATO

PIIS VOTIS

CONGRATULANTUR

GYMNASII GUELFERBYTANI PRAECEPTORES

A. D. XI CAL. MAI. MDCCCLI.

---

**GUELFERBYTI.**

TYPIS BINDSEILIANIS.



IUSTUS IEEP IO. CHRISTIANO KOKEN S. D.

**P**ermulti iam anni sunt, quum Te, Vir Venerabilis, urbemque patriam reliqui. Discessi, quia rationes meae ita ferebant, mea sponte, sed non sine magno maerore. Imaginem Tuam mecum abstuli et in mente mea penitus insitam servo, beneficia, quae Tu paterno animo in me contulisti, usque recolens Neque vero ejusmodi sunt, ut aut locorum aut annorum intervallo in oblivionem adduci possint. Si quid enim volui, si quid egi, quod, quaecumque est, me juvet, aliis profuerit, id iis nititur, quae in primis Tibi accepta refero. Nam ingenuas artes, quibus ad humanitatem fingimur, Te hortatore et praeeptore didici, Te duce atque auspice docere coepi.

Cum grata recordatione illud tempus revoco, quo discipuli Tui ex ore Tuo pendebamus, quid verum, pulchrum bonumve esset, ex Te haurientes. Suspiciebamus ingenii Tui acumen et subtilitatem, doctrinae varietatem et copiam, admirabamur, quanta Tu naturae agilitate, quum litterarum cognitioni rationem mathematicorum adiungeres, ex litteris venustatem et elegantiam in mathesia, perspicuitatem et subtilitatem ex mathesi in litteras transferres docendas, alterum alterius auxilio sustentans et ornans. Quo quid effeceris nihil adinet dicere: illuc praevertor, Te iis semper, quae tractares, permotum animos audientium orationis nunc vehementia et impetu, nunc lenitate et mansuetudine ita affectisse, ut eos, quo velles, Tecum abriperes, Animo, imo oculis coram Te videre mihi videor veterum scripta nobis enarrantem, eorum venustate et incensum et incendentem. Memini Te intimos Sophoclis, Horatii sensus tanta agitatione mentis, tanto vigore in gestu, vultu, voce, tanto flumine gravissimorum verborum nobis exprimere, ut non disceremus solum, quid illi dicerent, sed sentiremus etiam, quam praeclarum id esset, quod dicerent, ut eos adamaremus et admiraremur tanquam clara et illustria verae absolutaeque pulchritudinis exempla. Memini nec obliviscar unquam Te, quum ad virtutem nos impelleres, a pravo deterreres, aut studio aut ira ardentem et, qua commotione animi esses, lucidis oculis, voce concitata et vibrante prodentem Tuo nos sensu, Tuo dolore ita perfundere, ut nunc inflammaremur, nunc gelido tremore percuteremur. Quae sic divino quasi spiritu afflatus in animos nostros spargebas virtutum semina, ea interire non poterant. Ubicumque in fertile solum inciderant, alte impressa radices agere, germinare, efflorescere. Neque sane, ut dicam, quid sentiam, laetissimo atque uberrimo fructu caruerunt. Quem qui perceperunt meritam Tibi pro eo gratiam memori mente et pio, quo Te complectuntur omnes, amore persolvunt.



Academicis litterarum studiis finitis ad Te redii Tibique additus Tuis auspiciis juventutem erudire coepi. Tum vero, quum periclitarer ipse, quid docendo efficere possem, et ea, quae assequerer, voluntate et exspectatione mea inferiora esse viderem, tum igitur cognovi et quam difficile esset, mentes rudes ad humanitatem informare, et quanti illa sollertia et fides aestimanda esset, qua Tu et educatoris et magistri partes ageres. Non me fugerat quidem, quum Tua institutione fruebar, Te religiosissime officia muneris Tui explere, sed quot quantisque laboribus, curis, sollicitudinibus premereris, et quantae virtutis esset, has molestias animo forti perferre et superare, non divinabam, nedum perspicerem. Senseram equidem Te docentem utile miscere dulci, educantem comitate severitatem temperare, sed satis habebam rem ita esse eamque vix aliter esse posse opinabar. Verum quum usu edocerer, quantopere opinio me fefellisset, diligentius inquirere coepi, quid et quale id esset, quo Tu excelleres, quemadmodum non monitis et praeceptis magis quam auctoritate et exemplo ad doctrinae et virtutis studia duceres, ut Te, quantum fieri posset, secutus ipse via atque ratione procederem. Rectene id mihi an secus cesserit, nihil ad rem; certe meum non est id aut definire aut profiteri. Illud fateor voluisse et studuisse me, si minus quod Tu mihi olim, at id, quod pro indolis meae modulo possem, Tuo exemplo et more discipulis meis praestare. Tibi vero, Vir venerabilis, quod me in hoc studio, cujus me adhuc non poenituit, haesitantem consilio reexisti, aberrantem admonendo revocasti, prudentem approbando confirmasti, quantas maximas possum ago habeoque grates.

Nec tempora illa subseciva, quibus Tibi otioso esse licebat, silentio praeferrere possum. In mentem enim mihi venit suburbani Tui POST LABORES. Quo quum rebus seriis peractis Te recepisses, hilaris ipse atque festivus familiaribus collegarum Tuorum colloquiis vacabas. Cum summa voluptate recordor, quoties post villulam Tuam sedentes, arborum ramis obumbrati, montium, qui Visurgi imminet, rupes atque silvas prospectantes varios, quocumque animus ferebat, sermones serebamus. Quibus si etiamnunc interesse possem, coram Tecum tractassem ea, quae de locis aliquot Tullianis ad Te perscripsi, Teque aut adsensorem aut correctorem mearum suspicionum habuissem. Non soles enim aspernari ea, quae, quamvis exigua sint, e studio tamen falsi expellendi verique inveniendi profecta aliquid ad scholas rectius habendas valere videantur.

Nuper, quum discipulis meis librum quartum accusationis in Verrem explicarem, offendi in his primi capituli verbis: *Etiam planius: nihil in aedibus cujusquam, ne in oppidis quidem; nihil in locis communibus, ne in fanis quidem — reliquisse.* Illa enim *nihil in aedibus cujusquam, ne in oppidis quidem*, sive ad contrarium enuntiationis membrum, sive ad dispositionem orationis referuntur, satis firmam vitii suspicionem habere videntur. Quodsi ad ea, quae contra posita sunt, *nihil in locis communibus, ne in fanis quidem*, retuleris, membrorum contrarie relatorum concinnitatem desideres. Est enim manifestum illud anaphorae genus,



quo non solum in principio singulorum membrorum eadem verba repetuntur, sed etiam cetera eodem ordine sese excipiunt, ut sententiae oppositae aequabili membrorum conformatione magis efferantur. Cf. Naegelsbach Lat. Stil. §. 135. Jam vero *nihil in aedibus cujusquam*, et *nihil in locis communibus*, quibus privata et publica significantur, sibi respondent, sed quae sequuntur *ne in oppidis quidem* et *ne in fanis quidem* ea nec sibi nec iis, quibus annexa sunt, recte respondent. Nam *fana* subiecta sunt *locis communibus*, *oppida* non subiecta *aedibus*. Accedit quod verba *ne in oppidis quidem* etiam dispositioni orationis adversantur. Cicero, quamquam satis disposite Verrem accusari posse negat, eius tamen maleficia in auferendis signis commissa ita persequitur, ut primum privatorum hominum (cap. 2—32), deinde rerum publicarum exspoliationes (cap. 33—58) recenseat; atque se hoc ordine usurum esse his verbis, de quibus agimus, ostendit. Publicae direptiones verbis *nihil in locis communibus*, *ne in fanis quidem* recte denotantur, privatae verbis *nihil in aedibus cujusquam*, *ne in oppidis quidem* denotari non posse confiteamur necesse est, nisi forte solitas vocabulorum significationes pervertere et Ciceronem secum ipsum pugnare volumus. Nam ad publicas direptiones significandas hac oratione verba *fana atque oppida* adhibere solet. Cf. IV, 57, 126. *Verres ornamentis fanorum atque oppidorum habeat plenum domum.* 59, 132. *Spoliationes fanorum atque oppidorum.* 62, 139. *Spoliatam urbem, fana direpta.* Quae quum ita sint, locus vitio affectus atque ita corrigendus esse videtur, ut scribatur: *Nihil in aedibus cujusquam, ne in hospitibus quidem: nihil in locis communibus, ne in fanis quidem.* Sic verba utriusque membri quum inter se congruunt, tum orationis dispositioni consentanea sunt. Nam ut in altera ejus parte, qua publica Verris furta ostenduntur, in primis direptiones *fanorum* perstringuntur, ita in priore, qua privatorum hominum exspoliationes tractantur, id gravissime vituperatur, quod ne ab *hospitibus* quidem possessionibus homo avarus manus abstinerit. Cf. IV, 8, 18. *Habitasti apud Hejum Messanae; deorum simulacra restitue.* 17, 37. *A Lysone vero Lilybetano, primo homine, apud quem deversatus es, Apollinis signum ablatum certe non oportuit.* 22, 48. *Non dubitavit illud insigne penatium hospitaliumque deorum ex hospitali mensa tollere.* 27, 60. *Hospitium spoliatum ac proditum.* 30, 68. *A praefore populi Romani in provincia violatum regem, spoliatum hospitem.*

Adjungo huic locos nonnullos ex oratione pro P. Sestio desumptos; in qua, quamvis novissimo tempore post egregiam Madvigii curam a multis et doctis viris emendata sit, plura tamen, quam velis, etiamnunc ad scripturae integritatem considerantur. Exordior a decantato illo Gaviano, qui c. 33 §. 72 a Cicerone ridetur, quod in Atiliam gentem non adscitus sit, sed Gaviorum machinationibus irrepserit. Verba *Alter vero, non ille Serranus ab aratro, sed ex deserto Gavii Oleli horreo calatis Gaviis in Calatinos Atilios insitus, subito-sustulit* foede corrupta sunt. Ut emendantur ab iis proficiscendum est, quae Madvigiis acute definit.



Recte enim censet verba *calatis Gaviis* optimorum librorum consensu certa nec amplius sollicitanda, sed jam Parisini codicis scripturam *Gavi Oleli horreo* correctionis manifestam esse, quoniam desertum horreum pro inani et vacuo dici non possit, et in codd Bernn. *Gaviolaeliorea*, in cod. St. Vict. *Gavi laetior ea* exstet. Nec in eo a vero aberrasse videtur, quod in locum vitiatae huius scripturae propter Serrani illius ab aratro comparationem aliquid substitui vult, quod ad rusticam Gaviani originem spectet. Quam vero dubitanter quidem, sed tamen proponit correcturam *ex deserto Gavii — rure*, ea non magis mihi probatur, quam vel Halmii *ex-area*, vel C. Fr. Hermannii *ex-horto*. Nam praeterquam quod interiectum vocabulum *Oleli* intactum relinquitur, consentaneum est Atiliis Calatinis, nobilissimae genti, ipsum Gavium, hominem desertum, (Cf. Cic. Verr. L. IV, 63, 146. 148.) ex adverso poni, non Gavii aut rus aut aream aut hortum. Equidem, quum ex variis librorum lectionibus apparere videatur, in principe codice fuisse **GAVIOLETIOREA**, nihil, ut locus emendetur, agendum esse puto, nisi ut, littera o duplicata et littera n, quae lineola significata erat, inserta, singula verba recte distinguantur ac separentur. Ita haec scriptura oritur: *Sed ex deserto Gavio olenti ore a calatis Gaviis in Calatinos Atilios insitus*, quae nulla fere mutatione id efficit, quo opus est, ut quem admodum Gavius Calatinis Atiliis, sic Serrano illi ab aratro Gavianus cum acerbissima irrisione ut homo rusticus et agrestis opponatur. Cf. Cic. de Fin. II, 4, 12. *Ut majores nostri ab aratro adduxerunt Cinnamatum illum, ut dictator esset, sic vos de pagis omnibus colligitis bonos illos quidem viros, sed certe non pereruditos*. Nam verba *olenti ore*, quae ad Gavianum pertinent, non sic intelligi volo, ut c. 52 §. 111 de Gellio *in quo tamen est me ultus, quum illo ore inimicos est meos suaviatus* aut in Pis. 6, 13, *quum isto ore foetido taeterrimam nobis popinam inhalasses* de Pisone usurpantur, sed illo sensu, quo homines rustici et agrestes, ut est in proverbio, *allium olere* dicuntur. Cf. Suet. Vespas. c. 8 Plaut. Mostell. 1, 1, 39. Ib. Taubmann. Aristoph. Nub. 51. 52.

Venio ad egregium illum de optimatibus locum c. 45 § 97. *Omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt nec natura improbi nec furiosi nec malis domesticis impediti. Est igitur ut ii sint, quam tu nationem appellasti, qui integri sunt et sani et bene de rebus domesticis constituti*. E scriptura cod. Parisini *eigitur* ceterae *ei igitur, est igitur, esto igitur* ortae nec satis aptae esse videntur ad superiora cum sequentibus conjungenda. Quamobrem Madvigius *sequitur* et post eum Bake *efficitur* scribendum esse coniecerunt. Verum propius ad cod. Paris. litteras locum emendari posse puto. In *eigitur* nihil inesse videtur, nisi: *en igitur*. Cicero negante optimatium definitione *omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt* cett. praemissa haec ad Albinovanum convertit, qui cum irrisione interrogaverat, *quae esset natio optimatium* (c. 44 §. 96). Aiens iam et ipse ridens *En igitur*, inquit, *ut ii optimates sint, qui integri sunt* cett. Deinde optimatium de-



initionem et quae iis in republica proposita sint latius persequens verum populum iam non ab optimatibus dissentire idque tribus locis, quibus maxime eius iudicium ac voluntas significetur, contione, comitiis, ludorum gladiatorum consessu ostendi affirmat et horum locorum conclusionibus *videtis igitur* (c. 53 §. 114) *videtisne igitur* (c. 59 §. 127) subinde illius *en igitur* admonet. Denique eo, unde deflexit oratio, rediens verbis *Habes igitur quod ex me quaesivisti, qui essent optimates. Non est natio, ut dixisti* (63, 132) totam rem absolvit. Simili modo in oratione pro rege Deiotaro criminationem Phidippi eludit. Exorsus *En crimen, en causam, cur regem fugitivus, dominum servus accuset* (c. 6 §. 17) verbis *Habes crimina insidiarum: nihil enim dixit amplius* (7, 21) refutationem concludit. De structura *en ut* cf. Catull. 61, 157. *En tibi domus ut potens et beata viri tui.*

In Gellium illudens, qui patrimonio exhausto philosophiae artiumque liberalium studio se dederat, c. 51 §. 110. haec dicit: *Deinde ex impuro adolescente et petulante, posteaquam rem paternam ab idiotarum divitiis ad philosophorum regulam perduxit, Graeculum se atque otiosum putari voluit, studio litterarum se subito dedit. Nihil sane Attae iuvabant anagnostae; libelli pro vino etiam saepe oppignerabantur.* Corrupta cod. St. Vict. et utriusque Bern. scriptura *Nihil sane Attae iuvabant anagnostae; libelli*, quam Parisinus sic mutilavit, ut esset *nihil sane a te libelli*, plurimis emendandi conatibus occasionem dedit. Has ne in medium proferre necesse sit C. Fr. Hermanni acumine et diligentia effectum est, qui superiorum conjecturis allatis, qua via progrediendum sit, ostendit. Recte enim statuit rem, quae anagnostarum adiumento caruerit, eo vocabulo, quod corrupto *Attae* substituatur, denotari debere. Quod ipse coniecit *nihil sanctitatem iuvabant anagnostae*, Halmius anagnostas sanctitatem adiuvari potuisse negat, quae nulla in Gellio fuerit. Saltem scribendum esse *nihil ad sanctitatem iuvabant*; hanc vero conjecturam a litterarum ductibus longius distare Accedit quod ne sensu quidem, quem continet, commendari videtur. Anagnostae enim, quum non comparati sint ad sanctitatem iuvandam, immerito vituperantur, quod id non fecerunt. Aderant ut studia litterarum, quibus Gellius se dediturus erat, adiuverent. His illi quidem non profuisse, libri etiam nocuisse dicuntur. Loci igitur sententiae satisfieri videtur, si proxime ad codicum vestigia scribatur: *Nihil sane ad haec iuvabant anagnostae; libri* cett. Ac si quis necesse esse putet, quae Hermanni sententia est, Gellii impuritatem simul notari, qui ut libros pro vino oppigneraverit, sic anagnostas quoque in libidinis instrumenta converterit, verba, quae suadeo, non prohibent quo minus id statnatur. Quum anagnostae ad litterarum studia Gellio nihil profuisse dicuntur, legentium arbitrio permittitur, cuinam rei eos inseruisse velint.

Reditum suum, incredibili omnium hominum laetitia et gratulatione illustrem Cicero c. 63 §. 131 his verbis praedicat: *Reditus vero meus qui fuerit quis igno-*



rat? quem admodum mihi adveniēti tanquam totius Italiae atque ipsius patriae dextram porrexerint Brundisini, quum ipsis Nonis Sextilibus idem dies adventus mei fuisset reditusque, natalis idem carissimae filiae, — idem etiam ipsius coloniae Brundisinae, idem Salutis, quumque me domus eadem — accepisset, quae proximo anno maerens receperat et suo praesidio periculoque defenderat. Itinere toto urbes Italiae festos dies agere adventus mei videbantur, viae multitudine legatorum undique missorum celebrabantur cett. Madvigius quumque, quod ante *itinere toto* in libris scriptis est, et ob loci sententiam et ob grammaticam rationem delendum esse censet. Ac primum modi particulae *quum* adiuncti diversitatem *quum — fuisset, quumque — accepisset, quumque videbatur* ferri posse negat. Deinde *quum — fuisset, quumque — accepisset* recte quidem ad superiora illa *quemadmodum — dextram porrexerint Brundisini* per particulam *quum* referri, quoniam haec quoque de adventu Brundisino dicantur; reliqua vero, quae ad iter Brundisio Romam factum pertineant, perverse illis adiungi. Denique intolerabilem orationis languorem oriri, si omnia inde a verbis *itinere toto* superioribus per *quum* coniunctionem adhaereant. Hanc tamen rerum diversarum copulationem orationisque languorem non curans Fr. Jacob *quumque itinere toto* retinet et, ut modi ratio constet, *quum — fuit, quumque accepit* pro eo, quod est *quum — fuisset, quumque accepisset* scribi jubet. Dixeris pro loci natura coniunctivum *fuisset, accepisset* aptiorem esse quam indicativum modum. — At *fuisset* eo quoque suspectum est, quod *esset*, ut oratio recte procedat, requiritur. — Tum id audirem, si ea quae sequuntur *reditusque* certa essent. Verum in optimis libris (Parisino, St. Vict. Bern. altero) haec scripta sunt: *quum — idem dies adventus mei fuisset reditus, qui*. Quae si ita accipiuntur, ut sint *quum idem dies adventus mei fuisset reditus, qui*, non solum *reditus*, cui hic, ubi de adventu solo agitur, locus non est, sed id quoque tollitur, quod Fr. Jacobo verbum *fuisset* suspectum reddit. Nam quum *accepisset* tolerari posse concedat, non est, cur *fuisset reditus* (i. e. tanquam debitus esset datus) ferre nolit. Omisso igitur Jacobi remedio, satis aspero nec tamen salutari, (nam illa incommoda sententiarum inconcinnitatem, orationis languorem non adigit) in eam viam redeamus, quam Madvigius monstravit. Locus, qui est de reditu, in duas partes distribuitur, adventum et iter. Has perverse particulis *quumque* coniungi manifestum est. Illud tamen miror Madvigium *quumque* sine ulla compensatione omisisse nec alium quemquam quaesivisse, quid sub hoc vocabulo latere possit. Comparanti enim hunc locum cum aliis, quibus Cicero de reditu suo agit, dubium esse non poterit, quin illa *Itinere toto urbes Italiae* cett. nudiora sint, quam ut in iis acquiescere existimandus sit. Hanc ob causam reponendum esse senseo *Cunctae itinere toto urbes Italiae festos dies agere adventus mei videbantur*. Cf. pro Sest. 60, 128. *In una mea causa — factum est ut cuncta ex Italia omnes, qui rempublicam salvam vellent, convocarentur*. In Pis. 22, 51. *Ac meus quidem (reditus) is fuit, ut a Brundisio*



usque Romam agmen perpetuum totius Italiae viderem. Neque enim regio fuit ulla nec municipium neque praefectura aut colonia, ex qua non publice ad me venerint gratulatum. In Vatini. 3, 8 Omnia illa senatus consulta, populi jussa, Italiae totius, cunctarum societatum, collegiorum decreta de me cett.

Paulo post c. 64. §. 134. Vatinius, quod ex re nihili gloriam cupide quaesierit, sic carpitur: *Quae res hominem impellit, ut sit tam intemperans? Ista nimia gloriae cupiditate familiam gladiatoriam, credo nactus est speciosam, nobilem, gloriosam.* Madvigius manifestum esse credit, Ciceronem haec tantum scripsisse: — *tam intemperans? Familiam gladiatoriam, credo, nactus est;* reliqua in textum irrepsisse, ex annotatione aliqua scholiastica. Verba enim *nimia gloriae cupiditate nancisci gladiatores* esse inepta, *credo* nimis longe ab initio sententiae remotum, foedam tautologiam, quum statim sequatur: *flagrans cupiditate gloriae.* Orellius Madvigium secutus est; ceteri, qui hunc locum attigerunt, ea, quae suspecta sunt, emendare quam abjicere maluerunt. Sic Baden *insita nimia gl. cup.*, Hahn *ut sit tam intemperans, sit tam nimia gl. cup.*, Jacob *ut sit tam intemperans? Peccat iste nimia gl. cup.* coniecit. Laudandi hi quidem sunt, quod leniore ratione vitium expellere student, sed in eo falli videntur, quod nimiam gloriae cupiditatem veram Vatini intemperantiae causam esse statuunt. Id enim Madvigius acute perspexit, Ciceronem ironice aliquam excusationem fingere, quasi probabili ratione Vatinius in impudentiam inciderit, deinde subito conversa oratione negare, quidquam eorum esse. Ad hanc dissimulationem verba illa, quorum fides dubia est, nullo fere negotio accomodari possunt. Nam quum in optimis codicibus non *ista*, sed *iste* inveniatur et syllaba *nim*, si modo scripta fuit, ob sequens *nimia* facile excidere potuerit, haec: *Quae res hominem impellit, ut sit tam intemperans? Est enim nimia gloriae cupiditate: familiam gladiatoriam, credo, nactus est* cett. prope sua sponte se dant. Particula *enim* ironiae inserviens causam, qua quis Vatini intemperantiam excusaverit, absurdam esse significat. Cf. c. 51 §. 110 *An sicubi aderit Gellius. — id erit populare? Est enim homo iste populo Romano deditus. Nihil vidi magis: qui — usque eo non fuit popularis, ut bona solus comesset.* Hand. Tursell. II p. 391. Neque vero, quod Madvigio displicet, Vatini gloriae cupiditatem semel iterumque commemorari, offensioni esse potest. Augetur enim eius rei, quae nulla est, exaggeratione et repetita commemoratione ironiae acerbitas. Vatinius nimia scilicet cupiditate gloriae flagrans se tenere non potuisse dicitur, quin eos gladiatores ederet, quorum ipse esset — pulcherri-mus. Nempe strumis laborabat. Hominem magna pollicitum, quum expectatione suspensi nihil videamus praestari, quod tanto hiatu dignum sit, ridemus.

Transeo ad orationem in Pisonem. Sui reditus celebritati Cicero Pisonis reditum, quo nihil desertius fuerit, c. 22 et 23 opponit. Sub comparationis finem §. 54 his utitur verbis: *Sed quid ego enumero, qui tibi obviam non venerint? (cui) dico venisse paene neminem.* Pronomen *cui* s. *qui*, quod in libris scriptis inve-



nitur, corruptum esse inter omnes constat. Ernestius et Schuetzius deleverunt pronomen, Orellius tanquam suppositivum uncinis inclusit. Recte an secus iam videamus. Cicero Pisoni vitio vertit, quod ei ex Macedonia redeunti et ad urbem accedenti ne legati quidem obviam venerint. Enumerat eos, qui, quum pro sua cum eo conjunctionis necessitudine venire debuissent, non venerant. Sed subito conversa oratione enumerationem quasi inutilem omittit seque ipse corrigens paene neminem venisse affirmat. Huic correctioni id vocabulum, quod in *cui s. qui* corruptum est, inservisse videtur. Adducor igitur, ut scribendum esse existimem: *Sed quid ego enumero, qui tibi obviam non venerint? quin dico venisse paene neminem.* Cf. Somn. Scip. §. 162. *Quid moror in terris? quin huc ad vos propero.* Liv. VIII, 32, 6. *Sed quid ego haec interrogo? — Quin tu respondes cett.*

De Pisone, homine voluptario, c. 28. §. 69 haec leguntur: *Graecus-distinguere atque dividere illa, quemadmodum dicerentur: iste claudus, quemadmodum ajunt, pilam; retinere quod acceperat, testificari, tabellas obsignare velle, Epicurum disertum dicere; est tamen: dicit, ut opinor, se nullum bonum intelligere posse, demptis corporis voluptatibus.* Piso a quodam Graeco edoctus voluptatem, quae sensus iucunde moveret, ab Epicuro finem rerum expetendarum constitui, haec tam avide arripuerat et devoraverat, ut Epicurum non pro magistro virtutis, sed pro auctore libidinis haberet. Tum Graecus distinguendo et dividendo, quemadmodum haec dicerentur, voluptatem, opinor, non solum in iucundo motu sensus, sed etiam in vacuitate doloris positam esse, Pisonem ab errore in veriorem viam deducere studuit. At ille ad has distinctiones et divisiones surdus, id quod acceperat, voluptatem sensus nimirum titillantem, arcte tenet atque defendit. Quid tum? Epicurum *disertum* dicit. Haec quid sibi velint me non intelligere fateor. Nam ut omittam Pisonem rem, non verba curare, Epicurus nec in hominibus disertis numerari solet nec ob ea, quae tanquam facundiae documentum afferuntur *se nullum bonum intelligere posse* cett., pro diserto haberi potest. Orellius, ut his difficultatibus se expediret, ad ironiam confugit. Epicurum, inquit, disertum praedicabat Piso: et est sane ille disertus; (ironice) dicit enim, ut specimen habeatis istius sapientiae et facundiae, *se nullum* seqq. Non quaero, unde Orellius *sapientiam* desumpserit: illud dico verba *se nullum* seqq. nec facundiae nec infantiae specimen esse posse. Quid multa? Ciceronem scripsisse puto: *Epicurum disertum dicere.* Piso, quum omni asseveratione affirmasset, se sibi voluptatem sensus moventem eripi non passurum, Graecum distinctionibus et divisionibus suis ab ipso Epicuro defecisse ait, quod hic in definienda voluptate peccavit illi tribuens. Tum vero Tullius occasione Epicuri irridendi arrepta *Est tamen: inquit, dicit, ut opinor,* cett. Innuit enim his verbis, quamvis multa et exquisita de indolentiae praestantia et similitudine eius cum voluptate disputentur, id tamen Pisonem sentire, aliam esse vim voluptatis, aliam indolentiae, eumque re vera a semet ipso dissidere, qui, quum semel finem bonorum in voluptate sensus movente posuerit, huic alteram adiun-



gere velit eam, quae percipiatur omni dolore remoto. De significatione particulae *tamen* cf. de Fin. II, 5, 15 *si movente, quod tamen dicitis, nulla turpis voluptas erit*; de Epicuri inconstantia II, 5, 16. *Quid tendit? quum efficere non possit, ut cuiquam, qui ipse sibi notus sit, hoc est, qui suam naturam suumque sensum perspexerit, vacuitas doloris et voluptas idem esse videatur.* 11, 35. *Reliqui sibi constiterunt, ut extrema cum initiis convenirent — Epicurus autem cett.*

Redeo ad Vatinius. Ex quo postquam Cicero in Vatin. c. 10 quaesivit, num Vettium indicem in contionem induxisset atque in rostris collocavisset, ut per eum summos et clarissimos cives M. Bibulum, C. Curionem, L. Domitium cett. e civitate tolleret, de Domitio §. 25 haec addit: *quem tu propter commune odium in bonos oderas, in posterum autem propter omnium spem, quae de illo est atque erat, ante aliquanto timebas.* In verbis *ante aliquanto* (cod. Salisburgens. habet *ante aliquando*) Orellius offendit; dubitat tamen an ferri possint. Mea sententia non possunt. Videamus, quae sit omnium de Domitio spes. Anno 59 a. Chr., quo Vettius in contione dixit, Domitium secum de Cn. Pompeio interficiendo conspirasse, de Domitio *spes erat* fore ut sequenti anno praetor acta Caesaris rescinderet; anno 56, quo Cicero Vatinius interrogat, *spes est*, fore ut, quod praetor non potuerit, proximo anno consul efficiat Vatinius igitur Domitium, quem ut bonum civem oderat, inde ab anno 59 propter spem, quam optimates in eo reponerant, ut adversarium Caesaris timebat. Quae quum ita sint, difficile est ad dicendum, quid verba *ante aliquanto* significant quove spectent. Si quid video, reponendum est *propter omnium spem, quae de illo est atque erat, tandem aliquando timebas.* Cum hac scriptura egregie congruunt ea, quae Cicero aliis locis de Domitio memoriae prodidit. Tempus enim, quo ad summos honores evehatur idque efficiat, quod se facturum palam professus est, vix exspectare potest. Documento sunt quae, quum Caesaris machinatione impediretur, quominus Domitius anno 55 consul fieret (Cf. Suet. Caes. c. 24) ad Atticum IV, 8, 6 scripsit: *Quid enim hoc miserius, quam eum, qui tot annos, quot habet, designatus consul fuerit, fieri consulem non posse.*

Ex oratione pro P. Sulla unum locum, prae ceteris correctione indigum, proferam. Est c. 22 §. 63. *Atque in ea re per L. Caecilium Sulla accusatur, in qua re est uterque laudandus: primum Caecilius, qui id promulgarit, in quo fratris casum levare posset, quem, quia res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut desisteret, Sulla recte reprehendit: status enim reipublicae maxime iudicatis rebus continetur* Q. Caecilius in gratiam P. Sullae legem promulgaverat, ut de ambitu damnatis iterum magistratum petere liceret, sed de rogatione sua, ne res iudicatas videretur rescindere, Sullae auctoritate destiterat. De re igitur nulla dubitatio est; sed verba incerta sunt. Quae supra scripsi in solo Parcensi et Henr. Steph. codice inveniuntur. Ceteri libri non habent *ut desisteret*, sed *ut statueretur*, verbis *fratris casum levare posset, quem quia plane omissis.* Orelli



et Klotz cod. Parcens. secuti sunt; Halm scripturam eius, tametsi veram esse non praestat, tamen refinendam esse censet, donec aliquid melius aut certius e codicibus afferatur. De supplemento *fratris* — quia Halmio assentior: verba *ut desisteret* diutius toleranda esse nego. Ex superioribus enim *ut destiterit fratris auctoritate deductus* desumpta esse videntur et cum *reprehendit* coniuncta nescio quid incommodi habent, certe eo loco, quo leguntur, supervacanea sunt. Ac si quis reputaverit ea, quae sequuntur, *status enim rei publicae maxime iudicatis rebus continetur* vix dubitare poterit, quin in verbo *statueretur* vera scriptura lateat. Librarii syllabam, quae bis scribenda erat, pro suo more semel scripserunt. Sic *statueretur* factum est ex *statum tueretur*. Jam habes aptissimam sententiam: *quem, quia res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut statum tueretur Sulla recte reprehendit: status enim reipublicae maxime iudicatis rebus continetur.* Cf. Tacit. dial. c. 11. *Nam statum hucusque ac securitatem melius innocentia tueor quam eloquentia.*

Postrema verba admonent me, ut eo, unde degressus sum, redeam. Maternus, poesis aequae ac nemorum secretique amator, apud Tacitum profitetur, statum se melius innocentia tueri quam eloquentia. Tu quoque, Vir Venerabilis, statum tueris et domi et foris. Praeterquam quod fructus capis auctoritatis extremos, quos Cicero honeste actae superiori aetati suo jure vindicat, juvenili animo vires et ingenii et corporis, quas numen divinum benigne Tibi servavit, in Tuo studio atque opere cessare non sinis. Domus Tuam curam non desiderat, discipuli Tuis praeceptis ad honorum artium studia ducuntur, cives exemplo et consilio Tuo adjuvantur. Quocirca Te Tui unice amant, discipuli pie colunt, cives debito honore prosequuntur. Omnes hoc die, quo ante hos quinquaginta annos munus praeceptoris publici auspicatus es, Te circumstant gratulabundi, gratias agentes, vota pro Te suscipientes. Nos quoque gymnasii Guelferbytani praeceptores, quod coram facere prohibemur, absentes pia vota pro Tua Tuorumque salute nuncupamus. Faxit Deus Optimus Maximus, ut cum uxore veneranda, cum liberis nepotibusque carissimis hunc diem solemnem hilaris degas, ut quae deinceps Tibi sumpseris agenda rebus prosperis, vegeta et mente et corpore feliciter peragas, iucundaque bene factorum recordatione quam diutissime, conspicuum ordinis nostri decus, laetus nobis intersis. Haec precamur et, si quid addere fas est, ut nobis, sicut facis, in posterum faveas. Vale.